# DE POENULO PLAUTINA

## QUAESTIONES CRITICAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XI M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXIII HORA XI DEFENDET

Karl
**CAROLUS SCHUETH**
BONNENSIS

ADVERSARII ERUNT

ALBERTUS ZACHER
DODO SILOMON
IACOBUS SCHUMACHER

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI UNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXIII

FRANCISCO BUECHELER
EDUARDO LUEBBERT
HERMANNO USENER

De Poenulo Plautina quaestiones criticas eo modo sum scripturus, ut primum de prologo, tum de fabulae ipsius interpolatione et retractatione agam, denique nonnullos fabulae locos emendare coner. Vnam quaestionem fere totam intactam reliqui: num contaminata sit fabula, id quod qui primus ea de re disseruit Ladewigius (de can. Volc. Sed. pag. 36) negavit, nunc complures viri docti contendunt cf. Reinhardtus in Stud. stud. I pag. 109 sqq et Franckenus 'de Poenuli Plautinae compositione' mnemos. n. s. IV pag. 146 sqq. Mihi quidem antequam haec res pro certo disceptari possit, tota fabula quae maximas viris criticis difficultates et praebuit et praebet quam accuratissime perscrutanda videtur, ut quid Plauti sit quid non discernatur. Ad hanc quaestionem enucleandam si quid hanc commentationem attulisse ii penes quos huius rei iudicium est iudicabunt, gaudebo.

## CAPUT PRIMUM.

# DE POENULI PROLOGO.

Poenuli prologum, postquam Ritschelius in parergis eos versus quibus subsellia theatri commemorantur Plautinae aetatis non esse luculenter demonstravit, nunc omnes viri docti ad Plauti aetatem non recedere consentiunt. Pauci fuerunt qui accuratius singulas eius partes examinarent: quaestionem non nimis acri studio tractatam a Liebigio (de prologis Plautinis et Terentianis) felicius subiit Hasperus (de Poenuli Plautinae duplici exitu pag. 28); pauca adiunxit O. Seyffertus (stud. Plaut. p. 11). Itaque iam quam hi viri docti ingressi sunt viam persecuti totum prologum pertractemus, cum inde ipsius quoque fabulae condicionem nos melius intellecturos fore spes sit.

Atque primum prologum hunc e duabus partibus per v. 46—58 leviter inter se conexis constare neminem potest fugere: quarum posterior argumenti enarrationem continet, prior edicta quaedam histrionum domini. Iam initio sententiarum nexus misere corruptus est v. 5—10 iniectis, quos ei loco quo in codicibus traditi sunt aptos non esse recte vidit Geppertus, nec ipse in verum restituit. Nam post v. 16 'edicta ut servetis mea' cum ipsa edicta enumerari oporteat, 'que' particulae in primo edictorum versu non est locus. Itaque omissis paulisper his versibus sententiarum ordinem contemplemur. Prologus initium capit a versibus Aristarchi tragici (cuius 'Achillem' Ennius vertit cf. Festus pag. 242 M), quibus populum ut sibi animum advertat adhortetur. Cum his versibus coniungi non possunt quae v. 11 sq secuntur:

exsurge, praeco, fac populo audientiam
exerce vocem,

id quod fecisse praeconem e v. 16

age nunc reside

clare elucet. Non video cur cum Liebigio quis dubitet, utrum re vera haec allocutio praeconis facta an excogitata tantum et ficta sit. Nolo ut sententiam meam suffulciam eo argumento uti, quod in Asinariae prologo idem invenitur usus:

v. 4 face nunciam tu praeco omnem auritum poplum.
age nunc reside: cave modo ne gratiis.

Ibi quoque prologus antea spectatores tacere iusserat v. 1:

hoc agite sultis, spectatores, nunciam.

Sed hic prologus variis pannis tam foede est consutus, ut dubitem num unquam in scaena dictus sit[1]). Poenuli autem versus 11—15 alteri tribuo actioni, qua praeco, non ipse prologus populum audientem fecerat. Antiquam autem et hanc esse 'audientia' verbi usus demonstrat, quod Cicero semper sensu passivo usurpat, hoc loco activo sensu positum est ex analogia ceterorum verborum eodem modo formatorum, velut sapientia, lubentia. Aptissime iam procedit oratio v. 16

bonum factum esse[2]) edicta ut servetis mea,

qui versus arte coniungendus est cum v. 4:

audire iubet vos imperator histricus:

bonum enim esse factum, ut servetis mea edicta i. e. quae ego edico pro imperio histrico (cf. v. 44). Enumerat iam prologus edicta quaedam domini gregis nomine, quae certo versuum numero a poeta esse composita perspiciemus, si ul-

---

1) Praeterquam quod versus 1—3 cum 4. 5 non congruunt, neque 6. 7 et 9. 10 componi possunt: illis praeterea adiungendus est v. 8, qui arte cum iis cohaeret, sed nisi saltem nonnulla de argumento apponuntur non intellegitur, his 'huic nomen' et quae secuntur, quia haec verba cum 'id dicam' eodem versu continentur. Ad hunc igitur prologum revocamur v. 1—3. 9—15, quem numquam a quoquam in scaena pronuntiatum esse recte demonstravit Dziatzko de prologis Plautinis et Terentianis pag. 20 et 21.

2) sic codices. Geppertus male: bonum hercle factum.

timos versus primum spectabimus. Nam cum prologus versibus 32—35, 36—39, 40—43 singula edicta quaternis versibus enuntiet — qua in sententia etiam ea re confirmor, quod nullam aliam causam video cur versibus 41—43 anteposuerit v. 40 — persuasum mihi est eandem legem edictorum enumerationi haud ineptam etiam in ceteris partibus valere, etsi in nostris codicibus est obscurata, ita ut quaternis versibus de singulis quas adloquitur personis agat prologus. Atque e v. 23—27 quam maxime languet v. 27, qui quod facetiarum in his versibus inest interpretans prorsus rescindit; optime vero sententia versu 26 abrumpitur, cf. v. 35. Restant v. 17—22 in quibus utrum post v. 18 duobus versibus omissis genuinus ordo perturbatus esset an versus 21 et 22 duos antecedentes explicandi causa adiuncti essent cum dubitarem, haesitanti subvenit Buechelerus: cetera omnia edicta gravissimis et severissimis verbis esse pronuntiata 'ne sedeat' 'neu muttiant' 'neu obambulet' 'neu ducat' 'ne obsideant' 'dent' 'domum abeant' 'ut procurent' 'spectent' 'temperent', hoc uno loco leniter 'decet stent' adhibitum esse docens: eiciendos igitur esse hos versus. Hoc igitur versuum systemate poëta de iis loquitur, qui actori aut in ipsa scaena (nam de v. 17, in quo iam Acidalius divin. pag. 370 codicum lectionem defendit, Geppertus male mutavit, prorsus mihi persuasit Benndorfius, ann. gymn. austr. XXVI pag. 84 sqq) aut propter scaenam officere possint. Haec postquam statuimus redeundum est ad versus illos quos supra omisimus, 5—10. Iam non dubito quin hi quoque versus edictis imperatoris histrici adiungendi sint. Atque iam Hasperus duplicem in iis exstare recensionem v. 5. 6. 9. 10 et 7. 8 contendens hos versus nostrae versuum distributioni adaequavit. Sed genuinum versuum ordinem neque Hasperus restituisse mihi videtur. Neque enim video quomodo has sententias quis coniungat: et qui esurientes et qui[1])

1) et qui esurientes et saturi BC. et esurientes et qui saturi Gepp. rectum iam vidit Gronovius.

saturi venerint bono animo in subselliis sedeant, *nam* nimia stultitia est, impransum incedere sessum. Immo v. 9 et 10 sive ab actore sive a lectore quodam appositi videntur ad v. 7: qui edistis multo fecistis sapientius
nam quoi paratum est eqs.

Comprehendimus in his versibus idem interpretandi studium, quod Loewius[1]) in versu 14, nos in v. 27 deteximus. Optime vero v. 7 et 8 accedunt ad v. 6: alteri laudantur, alteros consolatur promittens fabulas pulcras molestam famem esse depulsuras (cf. Loewius ll); itaque utrique bono animo fabulam spectent. Circumspicientibus quo hos versus inseramus optimus videtur esse locus post v. 20, ita ut postquam de ipsa scaena locutus est prologus, hi ad singulos spectatores admonendos traducant. Hoc modo non ineptum prioris prologi partis ordinem constituisse nobis videmur: certe duarum recensionum vestigia prologus prae se fert, nam aut prologus ipse audientiam sibi fecit (v. 1—4. 16) aut praeconem vocem exercere iubet (v. 11—15. 4. 16). Secuntur edicta imperatoris: v. 17—20 qui in ipsa scaena versentur aut munere scaenico fungantur histrionibus ne molestiae sint, v. 5—8 ad spectatores omnes se convertit, v. 23—26 ad servos, v. 28—31 ad nutrices, v. 32—35 ad matronas, v. 36—39 ad ludorum curatores, v. 40—43 ad pedisecos. Aptissime edicta clauduntur v. 44 et 45, aptissime etiam hoc loco dictum est bonum *hercle* factum. Fallitur igitur Hasperus ll in v. 1—16 et 17—45 duplicem recensionem indagans, quod 'et simillimo sint argumento et eodem gregis domini praecepto finiti'.

Accedimus iam ad v. 46—58 quibus ad ipsum fabulae argumentum transitio fit, a multis ante tractatos. Primus Liebigius (pag. 36) vidit versibus 46—49 in hac expositione locum non esse, quia 'remigrare' verbum huic parti quae ad argumentum nos deducat aptum non sit. Sed quod ille inde collegit 'migrare' esse restituendum, bene me iudice refutavit

1) analecta Plautina edita a Goetz, Loewe, Schoell pag. 206.

Dziatzko (II pag. 31), nisus verbo 'vicissatim' quod illud tueatur. Ex alia igitur fabula hos versus esse illatos hic iudicat: cui sententiae de v. 46 et 47 plane accedimus, 48 et 49 vero non quadrare nisi in argumenti initium tam apertum est, ut certe ex eodem quo illi loco desumpti esse non possint; sed utrum affinxerit eos qui hanc partem composuit an hos quoque mutuatus sit pro certo non potest diiudicari. Etiam quod de sequentibus versibus disputavit Dziatzko valde dubium mihi videtur: v. 50—58 a grammatico quodam esse additos (pag. 29 et 30). Nam legem illam 'vulgo Plautinorum prologorum non fuisse nomen fabulae eiusque qui eam scripsisset spectatoribus proponere' (pag. 18) ipse neglexit in Casinae prologo pertractando: cur non idem Poenulo quae aeque ac Casina septimo saeculo identidem acta est largimur? Sed hae potissimum causae Dziatzkonem ut tituli pronuntiationem prologo antecessisse putet commovent: 'cum Plauti nomen non commemoretur, nec quidquam excogitari queat cur in Poenulo res aliter se habuerit atque in ceteris fabulis' (pag. 29). Sed prius illud argumentum, cui ipse minus tribuit (adn. 2) prorsus a Schoellio refutatur (II pag. 47 adn. 87): 'quem (sc. patruum Pultiphagonidem) non dubito quin ipsum Plautum "poetam barbarum" denotaverit coll. Most. v. 828', cui sententiae equidem adstipulor. Nam cum Plauto eiusque imitatoribus 'barbarus' semper sit Romanus aut certe Italus (exempla congesserunt interpretes Brix. ad Trin. 19, Lorenz. ad Most. 815, Vssing. ad Asin. 11) atque illo Mostellariae loco opufex barbarus nominetur pultiphagus, sine dubio et hoc loco de Romano i. e. de ipso Plauto intellegendum est hoc cognomen. Vide praeterea quae Franckenus Mnemos. IV pag. 163 et 164 de pultiphagis Romanis contulit. Quam causam praeterea Reinhardtus 'de retractatis fabulis Plautinis' in Stud. stud. I pag. 110 profert 'Hannonem Muthumballis non Pultiphagonis esse filium' nihili est: an iam coniciet Plautum Pultiphagonis esse filium? Neque plus ex eius verbis lucramur: 'et si hoc Ritschelio tribuas, tamen aliquos versus hic

intercedisse inde colligendum est, quod Plauti nomen hic omitti non debuit, ubi de nomine fabulae et poetae agitur'. Si patruum Pultiphagonidem revera Plautum prologus dicebat, ipso nomine non erat opus. Sed ob illam quam attuli causam facere non possum, quin spreta Ritscheli coniectura (parergon pag. 205) in Gepperti sententiam abeam: ante versum 54

Latine Plautus, patruus pultiphagonides

paucos versus excidisse iudicantis Casinae prol. 31—33 similes. Atque alterum argumentum Dziatzko ipse refutavit Casinae v. 30 sqq genuinos esse putans: nam certe ante Casinae prologum nomen eius non est pronuntiatum. Restat ut de uno Dziatzkonis argumento dicam, qui pag. 30 sq haec adiungit: 'Noluimus in antecedentibus eo argumento uti, quod versus 50—58 parum cum versibus 46—49 conveniant, in quibus ipsius argumenti expositio promittatur (v. 50 sic potius ad comoediae nomen transeundum erat »*sed antea vobis*« qs) et versus 48. 49 a sententia versuum 55—58 proxime absint'. In qua argumentatione Dziatzko manifesto prologi versibus contradicit, cf. quaeso hos versus:

46 ad *argumentum* nunc vicissatim volo . . .
50 sed nisi molestumst *nomen* dare vobis volo.
55 *nomen* iam habetis, nunc *rationes celeras*
accipite, nam *argumentum* hoc hic censebitur.

His igitur locis nomen fabulae coniunctum cum ceteris rationibus argumentum ad quod versu 46 transitur efficere certis verbis indicatur: sequitur horum versuum scriptorem consulto hos versus conexuisse cum praecedentibus. Vt igitur de his versibus iudicium brevi comprehendam: non nego versus 50—58 post illos (46—49) adscriptos esse posse, nam post v. 49 quin apte v. 59 inseri possit nemo dubitabit, sed quae certa causa nos cogat ut a grammatico eos compositos esse iudicemus ego non video: immo quia iste homo versus 46—58 ex diversis locis collatos quantum potuit coniunxit, ad ipsam actionem aliquam quandocumque facta est eos destinatos esse puto. Hac in sententia v. 57 et 58 me confirmant de quibus

sane difficile est iudicare: certe falsa est quam Ritschelius protulit interpretatio (parerg. pag. 210) nisus Turnebo, Gronovio, Acidalio. Nam iuratores non esse censores sed censorum ministros recte perspexere cum alii tum Mommsenus iur. publ. Rom. II 1 pag. 335, conferens Trin. v. 878

census quom sum, iuratori recte rationem dedi,

et Liv. XXXIX 44, 2: ornamenta et vestem muliebrem et vehicula quae pluris quam XV milium aeris essent, [decies pluris] in censum referre iuratores (quod verbum Mommsenus recte tuetur) iussi. Hoc igitur primum ex nostro loco discimus: singuli cives censorum ministris rationes (conf. legis Iuliae municipalis versus 147) deferebant, hi rursus censoribus; et ministri et cives antea iurabant, unde illi vocantur iuratores hi iurati (leg. Iuliae versu 149 census . . . ab ieis iurateis accipito), sine dubio quia illi certi et constituti censorum erant adiutores, hi cum censebantur iurabant (nam quam Mommsenus protulit interpretationem „Einschwörer" ex vi verbi 'iurare' non adipiscor). Eadem iuratorum vis in Senecae apocolocyntosi divi Claudi § 1 invenitur: dicam quod mihi in buccam venerit: quis umquam ab historico iuratores exegit? Hoc loco verbum a censorum ministris quibus iuratis hi confidunt ad tales homines translatum est quibus quis uti possit testibus quod iuramento ut verum dicant sunt obstricti. Spectatores igitur hic sunt iuratores, qui prologi rationes accipiunt (cf. leg. Iuliae v. 147 *rationem* pecuniae . . . *accipito*) ac primum nomen (leg. Iuliae v. 146 eorumque nomina . .), tum ceteras rationes h. e. ipsius argumenti enarrationem. Versus 57 dubito num ab eodem qui hos versus inseruit confectus sit: male versum 56 a versu 58 disiungit neque melius (si Geppertum sequeremur) v. 58 'operam date' ab ipsa enarratione secerneret. In versu ipso praeter Ritscheli emendationem 'suos sibist' mutatione opus non est: nam quod Loewius anal. pag. 45 proposuit 'arbiterio', de iudicio iudiciario verbis 'censebitur' et 'iuratores' notam inferri contendens, falsum esse ex iis quae supra exposui apparet. Neque magis placet

Teuffeli[1]) coniectura: locus argumentum censendist proscaenium. Mihi versus adscriptus videtur ab aliquo, qui etiam plures enarrationis et census similitudines quaerens adiunxit quo loco argumentum censeretur (id quod prologus v. 56 breviter iam indicaverat verbis: argumentum hoc *hic* censebitur), sententia per se satis bona, ut qui eum ad ceteros apte adplicare possit, ilico ei adstipulaturus sim.

Sed ut ad id redeamus, cuius causa omnia haec commentati sumus: perspicimus consulto inter se compositos esse atque festiva imagine ornatos v. 46—58: hocine grammaticum qui non voluerit nisi nomen adiungere fabulae fecisse arbitramur? Hoc autem ex iis quae disputavimus efficitur: ex variis partibus compositos esse illos versus, qui partem priorem prologi (1—45) cum parte posteriore coniungerent: unde id pro certo concludimus duas illas partes non eodem tempore ad eandem actionem confectos esse, sed posteriorem priore esse antiquiorem; num ab ipso Plauto profecta sit (quod non recusavit Liebigius ll) de hac re sane licet dubitare. Sed videamus quantum singulis versibus perlustrandis proficiamus.

Apte oratio procedit: primum prologus de Hannonis fratre patruele atque eius filio loquitur usque ad v. 78 (in quo 'in illisce aedibus' retinendum esse et alii loci docent velut Cas. prol. 36. Men. 620 et bene monuit F. Schmidt[2]), tum de duabus Hannonis filiis usque ad v. 95, denique de earum in urbe Calydone fatis usque ad v. 115 (de fine infra agemus). Nonnullis locis continua oratio interrumpitur: in versibus 62 et 63 nihil est cur offendamus, cf. Men. v. 45 quem in locum ex nostro inserti videntur; at v. 79—82 quam ineptissime sententiarum nexum perturbant: in v. 83 neque 'sed' particulae neque post versum 79

revortor rursus denuo Carthaginem

'Carthaginiensi' verbo locus est. Optimo igitur iure et

---

1) mus. rhen. XXVIII pag. 346.

2) quaest. de pronominum demonstr. formis Plaut. pag. 28.

hos ex nostro et ex Menaechmorum prologo similes eiecit Hasperus (II pag. 28). Nec v. 91 et 92 ab eodem quo ceteros compositos esse poeta iudico: nam neque cum praeeuntibus neque cum sequentibus apte coniuncti sunt, cum bene inter se cohaereant v. 90 et 93. Accedit quod in hoc prologo nullius personae mentio fit nominatim: quam ob causam igitur lenonis, cuius aeque ac meretricum militum tarpessitarum numquam in prologis nomen adfertur? v. 99 et 100 postea additos esse Hasperus vidit: cui plane adstipulor quia istis versibus nihil aliud dicitur quam quod v. 98 verbis: 'neque eam umquam tetigit' expressum est. A Plauto et veteribus eos esse alienos Langenus monuit (ad Plauti cris. et interpr. symb. pag. 194).

Iam ad ultimos versus accedimus male nobis traditos. Argumenti enarratio finita est versu 114, postquam totam expositionem prologus his verbis terminavit:

quid verbis opust?
is heri huc in portum navi venit vesperi.

Adiungit his versum 115:

pater harunc, idem huic patruos adulescentulo [1])

quo spectatores Hannonis cum Agorastocle atque duabus puellis familiaritatis admonet, atque bene totius prologi finem facit versibus 116 et 117, quibus clausulam addimus v. 126

valete, adeste: ibo, alius nunc fieri volo.

Qui intercedunt vel secuntur versus alius esse recensionis atque superiores ex his versibus comparatis elucet:

119 ille qui adoptavit hunc sibi pro filio [2])
is illi Poeno, huiusce patruo [3]) hospes fuit

et

75 emit hospitalem is filium imprudens senex;

neque qui restant versus cum ceteris coeunt, quia post v. 114

---

1) codices: adulescentulo est.
2) cod. hunc pro filio sibi, metro respuente.
3) cod. patri, corr. Lomanus.

neque versui 121 neque v. 124 locus est. Recte igitur (si excipis v. 126) omnes hos versus reiecit C. F. W. Muellerus [1]). Sed in ipsis his versibus diversas recensiones distinguere possumus, in quibus constituendis a Seyfferto [2]) non multum discedo. Hoc enim modo versus discernere velim:

121 is hodie huc veniet reperietque hic filias
et hunc sui fratris filium, ut quidem didici ego
ego ibo ornabor, vos aequo aninio noscite

et

124 hic qui hodie veniet reperiet suas filias
et hunc sui fratris filium. dehinc ceterum
127 quod restat restant alii qui faciant palam.
valete atque adiuvate ut vos servet salus.

De versu 126 cur aliter ac Seyffertus sentiam, ea imprimis est causa, quod v. 127:

restant alii qui faciant palam

et v. 126: alius nunc fieri volo

non bene coeunt.

Ad hunc igitur prologum iam perducti sumus: 59—78. 83—90. 93—98. 101—117. 126. Sed ne hunc quidem prologum qualis nunc quidem exstat e Plauti manibus profectum esse concedendum est. Nam etiamsi neque 'Acheruntem' verbi mensura impedit, cum A. Spengelium [3]) recte 'abit' emendasse qui praecedunt versus demonstrent neque praepositio cum hoc verbo coniuncta cf. Muellerus pros. pag. 382 (cum hac re conferendum videtur, quod etiam terrarum vel urbium nominum structura Plautina admodum dubia est), tamen v. 66 sqq quam maximos nobis obiciunt scrupulos. Nam primum v. 66: 'puer septuennis' obloquitur v. IV 2,79 sq:

nam erus meus Agorastocles
ibidem gnatust, inde surptus fere sexennis;

1) pros. Plaut. pag. 508.

2) stud. Plaut. pag. 11.

3) T. Maccius Plautus pag. 69.

et v. V 2, 27: 'qui illim sexennis perierim Carthagine'. Atque ne mutes hoc verbum ea res prohibet, quod qui argumentum acrostichum composuit, in nostro prologo hunc versum legit, vide v. 1:

puer septuennis surripitur Carthagine.

Praeterea senem illum puero surrepto morbo affectum esse qui post sex annos eum consumeret quis umquam credet? Quas ineptias Menaechmorum prologi poeta quisquis fuit feliciter evitavit, cf. v. 15

eaque is aegritudine
paucis diebus post Tarenti emortuost.

Etiamsi igitur dolemus quod verum genuinumque Plautum nullo loco deprehendimus, tamen haec pro certo eruisse nobis videmur: prior pars cuius duplex recensio exstat, post extremam (a v. 49) adiecta est; qui intercedunt versus conquisiti sunt ex aliis fabulis, pauci fortasse ex ingenio poetae adiuncti, grammaticum vero nulli indicant; pars posterior usque ad v. 118 vetustissimam ostendit recensionem: num Plauti, admodum dubium; extremi versus iterum duarum recensionum vestigia prae se ferunt. In toto igitur prologo minimum trium actionum indicia sunt agnoscenda.

---

## CAPUT ALTERUM.

# DE POENULI RETRACTATIONE ET INTERPOLATIONE.

Liceat uno capite has duas quaestiones comprehendere, et ut disputatio secundum scaenarum ordinem procedat, et quia non semper pro certo diiudicari potest, utri generi corruptelas tribuas. De omnibus autem quicumque iam tractati sunt locis me non esse disputaturum scito: eos tantum attingam

quos aut ipse detexisse aut ad quos intellegendos aliquid attulisse mihi videor.

## I 1.

Iam in scaena prima graviter offendo in v. 31 sqq, quia sententiarum ordo parum apte progreditur. Nam primum quod Agorastocles a Milphione interrogatus respondet 'cupio' (v. 31. 33. 36.) licet in v. 33 quadret, quia Milphio semel iocatus verbis 'dic mihi vero serio' praemissis dominum eadem fovea decipere potuit: at a v. 36 quam maxime est alienum. Quasi antea nihil expertus sit dominus eodem verbo servo respondet. Tum displicent quibus verbis Agorastocles deceptus servom alloquitur: v. 32 quam maxime iratus 'abi dierectus', v. 35 quamquam iterum tactus mitissime 'iocare'. Haec postquam suspicionem mihi moverunt aucta ea est v. 35, qualis in codicibus traditus est:

A. iocare. M. vin tu illam hodie sine damno et dispendio tuo

e quibus Geppertus Acidalium (divin. pag. 372) secutus 'et dispendio' omisit; Rassowius (de Plauti substantivis thes. III) damno et . . tuo (quod adiungere neglexit). Id cum Rassowio consentio certe 'dispendio' esse tenendum. Nam quae sit causa cur quis ad 'damnum' vocem quam usitatissimam ut glossema adiungat 'dispendium', quod apud Plautum ter (Men. 485. Merc. prol. 30. 51), apud Terentium bis (Eun. 929. Hec. 795) invenitur, equidem non video. Sed 'damno' verbum ne additum iudicem hae me prohibent causae. Cur qui dispendium per damnum interpretabatur ad 'dispendio' adiunxit 'tuo'? Accedit quod comici substantiva cum praepositionibus 'cum' vel 'sine' ad actionis eventum exprimendum coniuncta sic nude ponere non amant; cf. haec exempla:

Amph. 1033: cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas;

Asin. 129 sq: bene merenti mala's, male merenti bona's at malo cum tuo.

Asin. 412: ne tu hercle cum magno malo [1]) mihi obviam occessisti.

470 sq: nimis iracunde non decet superbum esse hominem servom
malo hercle cum [2]) magno tuo, ni isti nec recte dicis.

901 sq: edepol ne tu hodie [3]) istuc cum malo magno tuo dixisti in me.

909 sq: tu istaec [4]) hodie cum tuo magno malo invocavisti.

Aul. 425: at hercle cum magno malo tuo [5]), si hoc caput sentit.

Bacch. 503: ne illa illud hodie cum malo fecit suo [6]).

Capt. 681: at cum cruciatu maxumo id factumst tuo.

Curc. 194: cum cruciatu magno dixisti id tuo.

Rud. 656: at malo cum magno suo hercle fecit [7]).

Merc. 22 sq: nec pol profecto quisquam sine grandi malo
. . studuit [8]) elegantiae.

Truc. 945: iam hercle cum [9]) magno malo tu vapula, vir strenuos.

Rud. 923 lucrum et malum sic coniunxit:
nam qui dormiunt lubenter, sine lucro et cum malo quiescunt.

Pseud. 264 iam Muellerus (addit. ad pros. Plaut. pag. 140) assentiente Lorenzio emendavit:

---

1) Fleckeisenus in editione adiungit etiam 'tuo'.

2) cod. iam, def. Fleck. phil. II 95. 'cum' Loman. spec. crit. pag. 18. Muell. phil. IX 741.

3) hodie add. Muellerus pros. pag. 763.

4) tu istaec Camer. tuis haec libri.

5) malo tuo magno libri. transp. Harius. Herm. de metr. p. 171.

6) suo A. suo meo BCD.

7) fecit hercle libri. transp. Weisius.

8) studit B. studet reliqui. corr. Camerarius.

9) iam libri. corr. Bothius. idem add. 'malo'.

potin ut semel modo Ballio huc cum ⟨tuo⟩ lucro respicias.

Vno loco Plautus nudum verbum posuit Amph. 742:

iterum iam hic in me inclementer dicit atque id sine malo.

Nam quibus praeterea locis 'sine malo' sim posuit, aliter sunt interpretandi atque quos modo attuli:

Rud. 780 sq: utrum tu leno *cum malo* lubentius
quiescis an *sic sine malo* si copia est?

cum quo confer

1125: non ego te comprimere possum sine malo?

Truc. 779: nunc[1]) volo scire eodem pacton sine malo fateamini.

In nostro loco praeterea placet allitteratio duorum vocabulorum quae alio loco neque apud Plautum neque apud Terentium coniuncta inveniuntur. Denique si hoc modo haec verba committuntur clare genuina damni verbi notio perspicitur, quae apud Plautum paucis exemplis se praebet: sic ut neque des neque pendas, cf. Asin. 182:

neque ille scit quid det quid damni faciat,

Epid. 319: argentum *accipiam* ab *damnoso* sene.

Retinenda igitur duco et damnum et dispendium atque hanc genuinam huius versus formam fuisse:

vin tu illanc[2]) hodie sine damno et dispendio eqs.

Haec si recte disputata sunt, versus praeeuntes 31—35 'iocare' ab hac scaena primum afuisse concludendum est: postea vero illis versibus adiunctis versum 35 mutatum esse in talem versum:

iocare. vin tu illam hodie sine damno tuo.

---

1) hic nunc libri. nunc Schoell. pacto libri. pacton Studemundus et Spengelius.

2) similiter istunc reponendum est Poen. III 3, 38:
atque istunc e navi exeuntem uti processimus
cf. Ballas de particulis copulativis apud Plautum pag. 43.

## I 2.

In altera scaena, in qua genuinum Plautum nos plane restituere posse paene desperamus, primum ad versus 36 sq nonnulla adnotemus. Grave enim in iis mendum Spengelius detexit (de re metr. cantic. Plaut. pag. 215): postquam v. 35 muriatica olere, salsa esse dictum sit, cum his mulieres non comparari posse quia insulsae sint. Sed neque Spengeli versuum emendatio mihi placet. Nam post versum 31

'cogita, item nos perhiberi' eqs

admodum languet v. 36:

item nos sumus, eius seminis mulieres sunt,

etiamsi cum Ritschelio (canticum Poenuli Plautinae emendatum pag. IV) alterum enuntiatum ex cantico seiungimus. Praeterea neque salsae neque insulsae sunt mulieres ex Anterastilis opinione, sed sine munditia, ita ut item ac salsa muriatica eas iterum iterumque *lavari* necesse sit: in hoc igitur verbo comparatio inest. Denique etiam v. 38 melius cum Anterastilis verbis coniungitur, si statim post v. 35 pronuntiatur. Has ob causas v. 36 sq delendos esse propono.

Graviora in v. 51—83 insunt. Volgo v. 51—62. 76—83 alii atque ceteros recensioni viri docti tribuunt, cf. Hasperus II pag. 28. Muellerus, addit. ad pros. pag. 63. Goetzius act. Lips. VI pag. 265 sq. Horum virorum sententiae ne accedam id potissimum me movet, quod Agorastoclem postquam v. 49 Milphionem tacere iussit, ut Adelphasium amare h. e. tacite spectare posset (sine amem, ne obturba) statim longum sermonem cum Milphione nectere non decet: immo exspectamus ubi Milphio tacet ut Agorastocles iterum mulieres contempletur et sapientibus eorum sermonibus auscultet, cum praesertim iam v. 44 et 45 verba laude plena effuderit. Sed in ipsis eis verbis quae iam Adelphasium loquitur v. 52—58 duarum recensionum vestigia facillime cernuntur, confer quaeso hos versus:

v. 54 prosedas

v. 56 quae tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum

et

v. 54 pistorum amicas reliquias halicarias

v. 57 quas adeo haud quisquam umquam liber tetigit neque duxit domum

atque imprimis

v. 55 servolicolas sordidas

v. 58 servolorum sordidulorum scorta duobolaria.

Has igitur recensiones constituo: 52 (in quo versu codicum lectio 'inter istas' contra Geppertum et Muellerum tenenda est: duo haec vocabula in unum verbum coalescunt cf. Cas. 457 inter eos. Poen. 870 propter amorem sim) — 55 et 52. 56—58. Iam si quaerimus utra recensio Plautum deceat, in v. 56—58 sunt quae offendant. Nam primum quod in superioribus versibus singulis verbis bene dicitur, in his totum explet versum, e quibus quam maxime friget v. primus stabulum statumque, sellam et sessibulum. Tum persaepe Plautus 'ducere' sim de meretricibus usurpat, numquam sollemne illud 'domum ducere'. Quae causa quo magis persuadeat, singulos locos quibus ducere hoc sensu invenitur enumerabo: Bacch. 1080. Cas. 845. Merc. 807. [815]. 1022. Men. 124. Most. 36. 960. Poen. pr. 100. Pseud. 258 (B et Lorenzius dicito). Stich. 426. 728. Truc. 678. Praeterea ductare hoc sensu ponitur Asin. 164. 165. 169. 189. 863. Poen. IV 2, 46 (hoc verbum etiam Terentius novit Phorm. 500, non ducere); ductitare Poen. I 2, 60; obductarier Merc. 786. De uxore Plautus dicit uxorem ducere (e. g. Cas. pr. 69. fab. 19. 218. Trin. 375. Truc. 866) vel ducere (Aul. pr. 33. 155. 289 al.) vel domum ducere; cf. imprimis Cist. I 1, 101:

at ille conceptis iuravit verbis apud matrem meam
me uxorem ducturum esse: ei nunc alia ducendast domum,

postquam Selenium iam 'duxit'.

Meretricem si quis domum recipit in aedes eam adducit, cf. Merc. 826:

amicam adduxit intro in aedis
et 923 sq: quia scortum sibi
ob oculos adduxerit in aedis.

Adiungo his unum argumentum: si Adelphasii verba cum iis quae Milphio respondet comparamus, 'servos spernere' et 'quasi eampse reges ductitent' ad utramque recensionem quadrare invenimus, 'quasi bella sit' autem magis ad 'miseras, schoeno delibutas' quam ad v. 56 respicere nobis videntur. V. igitur 56—58 e nostro contextu excludendos puto.

V. autem 51—62 (exceptis 56—58) si recte defendi, a v. 63 denuo meretricem sermonem incipere necesse est: nam Agorastocles ceteras Adelphasii orationes ubi primum loquendi finem fecit summis effert laudibus cf. v. 76. 93; his autem verbis Milphionem illa laeserat, itaque huius verba inter meretricum sermones interponuntur. Quod recte disputatum esse antequam ex versibus sequentibus ipsis demonstremus, Goetzi de his versibus sententia refellenda est, qui versu 67 eiecto hunc versuum ordinem efficit: 63—66. 69. 70. 68. 71. Sed v. 66 cum v. 69 ullo modo coniungi posse nego: nam si Milphio, ut illis versibus compositis interpretandum nobis est, ex Agorastocle quaerit: 'etiamne eum ad finem hanc Venerem venerari vis ut ames eam quam numquam tetigeris', primum ut hic ipse Adelphasium amet, eum neque illam neque ipsam Venerem venerari opus est, tum post verba illa 'hanc Venerem venerabor' statim 'deos quoque edepol amo' sequi aptum non videtur. Optime vero, sicut traditur, lusus v. 69 coniungitur cum v. 68. Hos autem versus si conectimus, etiam ceteri ex codicum auctoritate distribuendi sunt. At iam difficultas exoritur quae virum illum doctissimum ut v. 67 eiceret impulit: is enim versus hoc loco nullum exhibet sensum: advocat quidem Milphionem Agorastocles, sed quam ob causam eum advocaverit non comperimus. Accedit quod neque v. 70 Plautinas facetias sapit:

deos quoque edepol et amo et metuo, quibus ego[1]) absti-
neo manus:

certe si metuit manus abstinet. Qui hunc versum addidit, ei fortasse, sicut v. 67 ex Most. 1115 finxit, Pseudoli v. 944 obversabatur:

ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo et metuo et
magnifico.

Haec si quis reputabit, certe mecum consentiet v. 67—70 postea esse additos. De v. 63—66 per se sat commodis diu dubitavi; sed primum ob eam quam supra attuli causam, tum quod duplex deorum advocatio v. 64

di immortales omnipotentes quid est apud vos pulcrius
quid habetis qui mage[2]) immortales vos credam esse eqs

et v. 76: ita me di ament ut illa me amet malim quam di,
Milphio,

non bene eadem scaena continetur, denique quod etiam illi versus facile ex similibus velut

Asin. 134: nam mare haud est mare: vos mare acerrumum
Pseud. 328: nam hic mihi nunc est multo potior Iuppiter
quam Iuppiter,
Rud. 305: nunc Venerem hanc veneremur bonam
1348: illud ego advorsum si quid peccasso, Venus,
veneror te,

quibus infra addemus Poen. V 4, 7 excudi poterant, ut omnem illam partem a v. 63 usque ad v. 70 a Plauto abiudicem commoveor. Retinendos autem duco his quam simillimos v. 76—83, quia Agorastoclem sapientia amatae verba v. 73—75 non laudibus prosecutum esse non possum mihi persuadere. Accedamus igitur — nam v. 100—103 et 114. 115

---

1) sic scripsi ut versui non sententiae satisfacerem. cod. quibus ego tamen. Geppertus perverse Bothi 'quis tamen' recepit.

2) sic codices. Quod Geppertus in editione scripsit 'mage qui' et Muellerus pros. pag. 348 ex formae mage usu refutavit et ipse Gepp. stud. Plaut. pag. 135 retractavit.

sententiarum ordinem ineptis facetiis perturbantes iure uncis inclusit Hasperus — ad locum quam maxime intricatum. Iam idem Hasperus v. 123—133 Plauto indignos iudicavit; Goetzius acrius incidens totum locum a v. 117 usque ad v. 197 spurium duxit[1]). Mihi proficiscendum videtur a v. 146—170 quos Geppertus nimis violenter tractavit. Agorastocles postquam ipse Adelphasium adgressus repulsam tulit (v. 136—138) iam Milphionem servom ut eius gratiam ero conciliet adhortatur. Itaque post v. 144 'exora, blandire, expalpa' non Agorastoclem sed Milphionem cum puella colloqui certum est. Versus igitur 147—151 cum iis qui antecedunt coniungi nequeunt. Tum duplices servatae sunt Milphionis preces: 152—154 et 157—167. Versuum in codicibus nostris ordinem turbatum esse Geppertus intellexit. Nam cum Agorastocles eam tantum ob causam Milphionem vituperet et verberet, quod perverse cum Adelphasio oraverit suam pro eri persona induens, v. 152—154 cum v. 168 sqq, sicut Geppertus edidit, quam proxime sunt coniungendi. Iam autem num quis hoc credat haec *verba* Agorastoclem adeo irritare ut servom plagis mactet, osculum quod Milphio Adelphasio dedit (v. 162 codicis Ambrosiani, neque alio modo v. 167 'sine te hoc exorarier' quod ex duabus recensionibus Geppertus recte constituit, interpretari possum) eum non respicere? Praeterea num quis finget Milphionem primum Adelphasio osculum dedisse, tum verbis eam adulari? Etiam qui restant versus maximam dubitationem movent: 157—159 et 164 sqq. In illis Milphio promittit Agorastoclem amicam civem Atticam facturum esse, cum fabula nostra Calydone agatur (cf. Reinhardt. in Stud. stud. I p. 109, qui ex hoc loco retractatam esse fabulam conicit), praeterea illi versus, cum ut supra exposui v. 147—149 ad Agorastoclem dicti in nostrum locum quo servos Adelphasium alloquitur, non quadrent, cum nullo

1) nuper idem maiore confidentia affirmavit cf. ind. schol. Ien. 1883/84, pag. 4.

ceterorum versuum apte coniungi possunt. In v. 157 offendit: noli suscensere ero meo causa mea, quod quomodo ad nostram scaenam pertineat non videmus, cf. Goetzius ll pag. 313. Ex aliis fabulis hic versus illatus videtur, cf. Amph. 540:

noli amabo, Amphitruo, irasci Sosiae causa mea

Asin. 417: quaeso hercle noli, Saurea, mea causa hunc verberare.

Ex duabus partibus v. 165 coaluisse videtur: prima eius verba bene coeunt cum v. sequente:

atque hic ne me verberet
male formido,

extrema 'illum faciat nisi te propitio' versus sequentis finis esse videntur, ad hunc versum supplendum repetitus atque tum corruptus.

His causis ductus nullis aliis verbis in scaena genuina Milphionem meretricem allocutum esse censeo nisi v. 152—154. Apte hi conectuntur et cum v. 146 et cum v. 168 sqq. Etiam Dziatzko, qui mus. Rhen. XXIV pag. 572 adn. 5 de his versibus egit, Gepperto obloquitur: praeter eos versus quos nos servavimus, retinet 147—151. 155. 156. 162 A (= 163 Palatinorum): cui sententiae cur adstipulari non possim ex causis supra allatis elucet. Quae restant Goetzi argumenta ad versus 123—133 spectant, quos Hasperus suo iure delevit.

Hoc modo si huius scaenae exitum contra Goetz. tenemus, et exemplum scaenae simillimae Most. I 3 sequimur, qua in scaena Philolaches primum amicam eiusque servam observat, tum (v. 293) eas adgreditur, et sequentis scaenae v. 1 rectius intellegemus, quo servos ab Agorastocle admonitus ut consilio erum adiuvet statim verba profundit: 'ut me verberes'; . . nam

v. 4 maiorem partem in ore habitas meo:

certe si tota fabula Milphio non vapulat, horum versuum aptam non videmus causam.

## III 1.

In hac scaena difficile est iudicatu de advocatorum prima oratione. Non placet, quod his primis verbis quasi gravissimis minis Agorastoclem invehuntur 'divitem audacter *solemus mactare* infortunio', cum in posterioribus versibus quam lenissime dicant 'pridie advocatos te nos huc duxisse oportuit' (v. 25) vel 'ne nos tam contemptim conteras' (v. 34); etiam qui v. 63 sqq addidit, demisse eos irascentes facit:

bene vale igitur: te advocatos meliust celeris ducere.

Magnas difficultates v. 15 praebet: hoc tamen certum est hunc et versum 18 eadem oratione coniunctos esse non posse. 'Istuc' ex eo versu Muellerus pros. pag. 362 eiecit, iure ut videtur: nam obnoxius semper apud Plautum absolute ponitur, numquam ita, ut significet 'obstrictus ad aliquam rem' vel 'sub aliqua condicione', cf. Asin. 284. Bacch. 1196. Epid. 695. Mil. 746. Poen. V 4, 18. Stich. 497 (45 in codicibus corruptum ex obnixe). Trin. 269. 1038. 1063. Truc. 835. Versum nondum persanatum esse puto, sententiam tamen satis apparet talem fuisse, quae respondeat versui 18: tuo amori servos addictos. In sequentibus versibus ter idem audimus: v. 16 'argentum nostrum dedimus pro capite'; quamquam me haec verba non omnino perspicere confiteor; optime mihi placent comparati cum v. Rud. 97 sq

Scep. qui nominat me? Daem. qui pro te argentum dedit.
Scep. quasi me tuom esse servom dicas, Daemones.

tum v. 17 'liberos nos esse oportet' et v. 18 'ne tuo nos amori servos esse addictos censeas'. Sed utut de his versibus iudicandum est: cum v. 15 iuxta v. 18 stare nequeat, ille autem cum praecedentibus arte coniunctus sit advocatorum ἤθει alienis, post v. 12 versum 16 secutum esse conicio, unde haec exsistit sententia: quamquam plebei et (sic libri) pauperes tibi videmur; at liberi sumus.

Turbas deinde in v. 38 sqq inesse recte Goetzius

(II pag. 254) perspexit: at quod v. 38 et 39 post v. 43 ponendos esse censuit, mihi non persuasit. Nam me quidem iudice Agorastoclis verba delenientia melius post orationem advocatorum v. 30—37, versu 37 quam acerrime pro horum quidem hominum natura finitam, dicuntur quam post languidos illos 43 et 44. Versu 40 ad imaginem versus 4 revocamur, inversam paulum neque in meliorem partem: Illo versu (4) Agorastocles advocatos bene cum corbitis tarde vehentibus comparaverat adiuncta gradatione 'tranquillo mari', hoc quam ineptissime coniungit: 'operam celocem, ne corbitam date: attrepidate nam vos approperare haud postulo'. Celoces approperant, corbitae attrepidant, v. igitur 40 plane contrarium dicit ac v. 41. Sed ut omnis imaginis illius species evanescat, poetaster ille advocatos ita respondentes facit, quasi ut properarent Agorastocles edixerit (v. 43). Eiectis igitur his versibus aptum sententiarum ordinem restituamus.

III 4.

Aperte alienam manum in versibus huius scaenae 22 sqq deprehendimus de quibus miror Teuffeli iudicium (mus. rhen. VIII pag. 35 sq), qui horum versuum insulsitate ac stupiditate ad Poenuli artem diiudicandam utitur. Neminem effugiet tali artificio quale his versibus proponitur totum dolum destrui esse necessarium: nam si servom cum ducentis nummis Agorastocles quaerit, lenonem non eam ob causam in ius vocare potest, quia cum trecentis servom retinuerit. At si Agorastoclem hunc dolum callidum putasse et advocatos annuisse concedimus, quidni Agorastocles postea in lenone decipiendo eo utitur? Accedit quod Agorastocles v. 23 advocatos singulari numero alloquitur, cum omnibus ceteris huius scaenae locis plurali numero et ipse eos alloquatur et illi respondeant (cf. Clemmius mus. rhen. XXIII 693, qui hanc ob causam 'censeo' v. 18 in 'quippini' mutat). Certum igitur mihi videtur illos versus una cum v. 29 qui ad eos respicit postea esse adiectos.

## IV 1 et 2.

Magnam de his scaenis viri docti moverunt suspicionem: primus Hasperus pag. 25 IV 2 toti argumenti dispositioni repugnare iudicavit, tum Franckenus 'de Poenuli Plautinae compositione' (mnem. nov. ser. IV 146 sqq) et IV 1 et IV 2 a posterioribus scaenis seiunxit. Itaque antequam ad ipsam scaenam perlustrandam transeamus hanc primum quaestionem quantum possumus disceptemus.

Et Hasperus et Franckenus (pag. 156 sq) inde argumentum repetunt, quod Milphio postquam a Syncerasto ingenuas esse meretrices comperit 'nullam huius rei gravissimae faciat mentionem' (Hasperus) 'nihil ex his cum domino communicet, cui tamen hoc nuntio nihil exoptatius esse debuerit' (Franckenus). Mirum admodum et vix credibile, si primos scaenae alterius sequentis V 2 versus perlegis[1]):

Ag. ain tu tibi dixe Syncerastum, Milphio,
eas esse ingenuas ambas surrupticias
Carthaginiensis?

concordantes cum scaenae IV 2 versu 66, quo Milphio se ero rem indicaturum esse dixit:

nisi ero uni meo[2]) indicasso eqs.

Atque quod Franckenus pag. 157 multis verbis exponit quae Syncerastus in scaena IV 2 elocutus sit in scaena V 2 nihil efficere, quia Milphio verum non suspicans Hannonem simulare ducat se filiis privatum esse, nullius esse momenti puto. Nam etiamsi Milphio puellas illas Carthagine surreptas esse scit atque Hannonis filias eodem casu periisse audit, cur non poetae largimur, ut ad iustam fabulae καταστροφὴν

1) eodem argumento contra Franckenum nunc utitur Goetzius ind. schol. pag. 6. Idem duas hos scaenas ante actum II ponens optime contaminationis suspicionem a nostra fabula amovit.

2) cod. nisi ero meo uni, transp. Muell. pros. pag. 403 adn. 1.

efficiendam Milphionem ipsum omnium dolorum gnarum suspicantem fingat etiam Poenum qui ut in prologo est Poenus plane est vorsutum esse, sic ut puellarum agnitio per Giddenemem fiat? Aut quomodo Franckenus explicabit quod Menaechmus qui geminum fratrem *quaerit* nullo tempore suspicatur eum cum quo ab omnibus confunditur fratrem esse?

Neque maius momentum Hasperi alteri causae tribuo quod Hannonis fortuito adventu si Milphio puellas ingenuas esse compererit iam opus non sit. Nam quo argumento Agorastocles uti potest ut puellas re vera surreptas esse coram iudice evincat? Ipse Milphioni dolum illum ut ingrediatur suadenti opponit (V 2, 11):

si ad eam rem testis habeam faciam quod iubes;

cui dubitationi Milphio nihil aliud obloqui potest nisi fortunam aliqua ei adiutricem fore (v. 13). At gravissimum, id quo haec sententia prorsus evertitur, viri illi docti plane neglexerunt: nisi Milphio antea comperit Adelphasium et Anterastilem ingenuas esse surreptas Carthagine, quanam confidentia Hannonem V 2, 126 sqq inducere potest, ut liberali manu eos adserat, quasi filiae ipsius sint? Aut omnino nullum consilium in his fingendis poeta adhibuisse putandus est, aut Milphio de libero eorum genere certus esse debet. Si vero hoc concesseris, et IV 2 et praecedentem scaenam cum posteriore fabulae parte artissime cohaerere sequetur. Vnum restat argumentum quod nostrae sententiae repugnet: 'Acheruntem' verbum correpta prima syllaba in v. 9 positum. At mehercle etiamsi vere Plautina vocabuli in hoc versu mensura esset, equidem non dubitarem quin huic versui iuxta v. 12 locus non esset. Non possum mihi persuadere Plautum vel quemlibet poetam haec composuisse:

v. 7 quod illud est genus

v. 9 quodvis genus ibi hominum videas

v. 12 omnia genera recipiuntur:

quamquam genuinam huius loci formam non potui indipisci. V. 10—12 fortasse sic restituas:

v. 10 equitem peditem libertinum furem ac[1]) fugitivom vides
v. 11 verberatum vinctum addictum; qui habet quod det utut homost
v. 12 omnia genera recipiuntur eqs.

Sequitur tum scaena qualis Plauto in deliciis fuit: Milphio Syncerastum retinere, hic vasibus sacris onustus domum contendere studet; tandem Syncerastus ut maneat movetur atque cum Milphione facile posse fieri ut pereat leno communicat (versu 43). Exspectamus post hunc versum Milphionem summis opibus enixurum ut illam lenonis perdendi viam e Syncerasto comperiat, at v. 44 plane alio trahimur: malos se esse duo servi inter se contendunt, quod de Syncerasto[2]) iam v. 34 audivimus. Quid quod ne hi ipsi quidem versus apto sensu inter se conectuntur? Quamquam enim Milphio v. 44 quaesivit 'num esse aliter decet?', iure igitur Syncerasto apud Lycum male esse dixit, versu sequente de-

1) furem ac fugitivom scripsi cum Gepperto. cod. 'ad.' Muellerum (pros. pag. 346 adn. 2) aut 'ad' expungendum aut ad omnia verba 'an' adiungendum esse censentem non recte iudicare puto. Nam furem ac fugitivom iocose unam notionem, servom scilicet, efficere et comici docent et iure consulti, cf. Cic. de off. III 71: nec vero in praediis solum ius civile ductum a natura malitiam fraudemque vindicat, sed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur; qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto aedilium. digest. XXI 1, 1 (ex Vlpiano): aiunt aediles: qui mancipia vendunt certiores faciant emptores, quid morbi vitiique cuique sit, quis fugitivos errove sit. II 14, 50 (ex Vlp. l. 42 ad Sabinum): non impossibile puto in contractibus depositi, commodati et locati et ceteri similibus hoc pactum: ne facias furem vel fugitivom servom meum; cf. praeterea quae Brunsius collegit font. iur. Rom. pag. 186: eum puerum sanum traditum esse, furtis noxaque solutum, erronem fugiti(v)um, caducum non esse; pag. 187 idem de puella serva. Itaque 'ac' retineamus. In sequente versu Gepperti colon post 'utut homost' positum deleo.

2) cf. Becker. de syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos in Stud. stud. I pag. 238 adn. 3.

monstrat bonam Syncerasti apud lenonem esse condicionem. Neque qui secuntur versus actionem adiuvant: iterum Syncerastus familiam suam interire cupit ac Milphioni ut operam suam addat roganti noto illo lusu (cf. Amph. 326) respondet in hanc scaenam minime quadrante. Nam hac in scaena non Syncerastum volare oportet, sed Agorastocles et Milphio ut lenonem perdant Syncerasto quasi penna uti volunt: inepta igitur est imago. Tandem postquam Milphio pari exsecratione ac v. 41 usus hanc collocutionem finivit, unde digressi simus admonemur. Perbene vero hic versus:

52 verum enim[1]) qui homo eum norit cito homo pervorti potest

cum v. 43 eo modo coniungitur, ut Syncerastum de consilio eri pervortendi etiam deliberare intellegamus.

## V 3.

Qui in codicibus nostris sunt ultimi huius scaenae versus ipso eo loco sunt insignes. Cui quia aptos eos non esse apparebat post v. 31 Geppertus eos transposuit Acidalium (divin. pag. 395 sq) secutus: iniuria ut mihi videtur. Nam primum cum e versu 16:

pol satis scio impetrarunt, quando hic hic adest,

nec minus e v. 30:

sed quis illas tibi monstrabit?

Milphioni puellas Hannonis esse filias persuasum esse eluceat, fieri non potest ut v. 50 sq iterum de hac re dubitet. Accedit quod iam v. 28 Hanno Milphionem pueros abducere iussit, id quod ut faciat v. 54 et 55 eisdem fere verbis Agorastocles iterum imperat. Denique v. 55 'nos has hic

---

1) sic cod. pro 'homo' fortasse scrib. 'modo' cum Guyeto. 'si noris' male Gepp. de initio dubitat Langenus (symb. pag. 117); quae verba cum neque ex tradito neque ex nostro versuum ordine aliter nisi per 're vera' explicari possint, Plautinum illud 'enim vero' restituendum puto.

praestolabimur' sequentibus oblocuntur, quia v. 44 (vel alterius recensionis v. 42) Agorastocles ut puellis obviam eant monet. Non dubito igitur cum Brachmanno (de Bacchidum Plautinae retractatione scaenica capita quinque, in stud. Lips. III pag. 76 adn. 2) statuere hos versus ex alia fabulae recensione esse relictos.

## V 4.

Etiam in hac scaena retractatoris vestigia inesse iam Hasperus effecit, sed ut ipse suspicatur longius ea patere iudico. Nam cum ceteris orationibus Adelphasium vere ingenuam puellam se praebeat, v. 22 sq insipidum argumentum

an veró pulcra videre, óbsecro[1],
si tíbi illi non os óblitumst fulígine?

nimium exhorrescimus. Neque in sequentibus versibus singulorum orationes eorum moribus respondent: an tolerabimus Hannonem senem tales ineptias fundentem in v. 28

habet patris ingenium quod sapit?

At ne desint indicia e sermone sumpta, magnopere dubito num Plautus hac structura uti potuerit: 'praestitimus inter alias'. Apud Plautum praeter eos locos, quibus cum singulari numero 'praestare' coniungitur:

Bacch. 386: homini amico . .
nisi deos ei nil praestare
973: sed Priamus hic multo illi praestat
Mil. 777: atque is Alexandri praestare praedicat formae suam

bis invenitur cum dativo plurali compositum:

Cas. II 3, 4: eos eo condimento uno non utier omnibus quod praestat.
et Truc. 372: hoc tuis fortunis, Iuppiter, praestant meae.

In Terenti fabulis non nisi exempla singularis numeri exstant: Eun. 232. Haut. 876. Phorm. 790.

---

1) versus quamvis dubium sit discripsi ex auctoritate Palatinorum: ut hic versus octonarium iambicum, sequens senarium efficiat.

Non plane idem ac de quo quaerimus sensus invenitur in Catonis orig. 13, 6 I (= 69, 1 P.): quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit;
alio sensu Naev. 109 (R. II²):

qui apud gentes solus praestat.

Primus quantum scio Cicero Brut. 64 (qui locus unus in lexicis adfertur) dixit: suos inter aequales longe praestitit. Hoc igitur tempore primum ut excellere[1]) verbum sic etiam praestare hac structura usurpatum esse iudico. Grammatici latini nullam aliam structuram nisi cum dativo et accusativo norunt cf. Diomedes GL I 313, 9 K: anteeo illi et praesto illi dativo casu dicimus, ut Cicero 'qui omnibus intellegentia anteibat' . . . et Sallustius 'praestare ceteris animalibus', sed et accusativo Vergilius . . . ante illum Terentius, Plautus (sc. anteire). I 319, 1: praesto omnibus et omnes melior sum, praesto autem tibi praebeo tibi. Prisc. GL III 352, 6: nos quoque praesto te et tibi.

---

1) Draegerus ubi de his verbis agit (synt. I² pag. 379 sq) Seyfferti iudicium sequitur (cf. eius grammat. praefatio): 'sich auszeichnen unter einer Classe, zu der jemand gehört, heisst excello und praesto inter'. Certe hoc modo de Ciceroniani tantum temporis usu iudicare licet. Nam excello verbi apud comicos scriptores nulla forma invenitur nisi part. perf. pass. Terenti versu Andr. 356:

ubi te non invenio ibi ascendo in quendam excelsum locum,

quod ad transitivam verbi notionem redit (cf. κέλλω). Primus Cato intransitive dixit (orig. 22, 1 I = 82, 10 P): 'scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum *excellere* atque superbiam *augescere*': quod et ipsum ex genuina huius verbi vi intransitive versa explicandum est 'sich herausbewegen, heraustreiben'. Cicero rursus saepe posuit excello inter et excello alicui. Inde natum est participium praes. act. idem fere significans atque part. perf. pass. cf. imprimis bell. Hisp. cap. VIII 'oppidorum magna pars montibus fere munita et natura excellentibus locis est constituta' et XXVIII 'loca excellentia tumulis contineri' cum illo quem supra attuli Terenti loco. Sed haec ut accurate persequar ab hoc loco alienum est: sufficiat monstrasse paulatim horum verborum vim esse immutatam.

Praeterea neque 'alias' positum pro 'ceteras' Plautum sapit. Draegerus I² pag. 104 sq unum Terenti affert locum, Phorm. 1020:

quamobrem te oro ut alia facta tua sunt aequo animo
hoc feras,

qui illum usum non magis demonstrat quam similis Capt. v. 458:

ad fratrem modo ⟨ad⟩ captivos alios inviso meos;

aut Enni 259 sq (R. I²):

ea libertas est qui pectus purum et firmum gestitat
aliae res obnoxiosae nocte in obscura latent.

Primus Accius (384 R) 'omnia alia' componit:

qui nisi probrum omnia alia indelicta aestimant,

pro quo Plaut. Poen. V 4, 10:

quod pol ceteris omnibus factumst.

aliam eiusmodi iuncturam in Plauto non inveni 1). Atque ipse Accius ille pragm. I 1 (L. Mueller) haec:

et cuncta fieri cetera
imbecilla ob ponderitatem gravitatemque nominis.

Tum Lucilius 'alii omnes' quater componit:

XI 23 sq (M): hunc Tullius inquam
index heredem facit, et damnati alii omnes,
XXIX 16: ecpendi longe opera ante alia omnia
58: adde alios omnes meo periclo ex ordine
89: omnia alia in quibus ecferimus rebus, ne
ego multis loquar.

'Ceterum' et 'alium' coniunxerunt Pomponius et Novius versibus simillumis, ille v. 182:

omnem ceterum alium praeberem penum,

hic v. 101:

omnem ceterum alium praeberem cibum.

1) nam Poen. III 4, 8 'ibique reliqua alia fabulabimur' verba corrupta si ut Kochio (Fleck. ann. CVII 243) placet emendamus 'ibi quae sunt relicua' eqs ad ea exempla accedunt quae supra ex Terentio Plauto Ennio enumeravimus.

Denique ipsum verbum 'alium' nullo adiecto pro 'ceteri' usurpant Caesar et Sallustius (Draeger I² 105), e quibus Caesaris locus b. g. I 41: 'quod ex aliis ei maximam fidem habebat' nostro versui quam maxime est propincus. Ex his igitur argumentis concludo illos versus a Plauto abiudicandos esse et alteri parti saeculi septimi attribuendos. V. autem 20—24 si deles certe non minus reiciendi sunt sequentes (usque ad v. 30) quia cum illis arte cohaerent. Secuntur versus suspiciosi, quos iam Hasperus suo ut videtur iure exclusit: nam primum Adelphasium etiam nihil de genere suo comperit, cum his versibus genere glorietur, tum versum 34 melius Anterastilis diceret quam Adelphasium, quae scaena I 2 mulieres *nimis* poliri satis exposuit. Itaque Plauto dignum colloquium ut restituamus versui huius scaenae 19 versum 35 adiungamus.

Iam ad alteram scaenae partem (a v. 41) transeamus, non minus deformatam. Ex versuum ordine quae dubitationes nos moveant explicabimus.

Ac primum in v. 42—52 offensioni est, quod denuo Adelphasii sapientiae iam satis spectatae exempla proponuntur eaque rerum ordinem perturbantia. An non aegre feramus necesse est Hannonem et Agorastoclem primum amicos se praebere atque id quo tendunt, ut libertatem parent puellis, aperire (42 sq, clare v. 48), tum demum consilium inire ut ludo eas crucient? Accedit quod Agorastoclis oratio v. 49 sqq multo melius ad priorem scaenae partem adiungitur, qua Hanno et Agorastocles semoti a puellis earum orationes admirantur. Neque 'patrue' v. 49 Agorastocles Hannonem alloqui potest, quia v. 57 ubi primum Adelphasium hoc verbum audivit quaerit: 'num patruos est tuos hic'? Nam quod quis obloqui possit ad unum Hannonem tam remissa voce haec verba pronuntiata esse ut puellae ea audire non potuerint, hoc sane de versibus 78 et 79 celeriter dictis negandum non est, at hos versus quos Agorastocles quasi triumphans proclamat a puellis auditos non esse credere non

possum. Quid quod ipsa verba interpolationibus sunt foedata? Confer quaeso hos v.:

41 Ag. qui bene volt vobis facere
46 Ag. multa bona volt vobis facere.
42 Ag. amicus vobis
45 Ag. siquidem amicitiast habenda cum hoc habendast.

Praeterea etiam v. 51 et 52

ut pudice verba fecit
ut modeste orationem praebuit

tam brevi intervallo inter se consequi minus placet.

Sed progrediamur ad sequentes versus: quinam hoc interpretabimur (v. 53):

'sed ut astu sum adgressus ad eas'?

certe in versibus 47 et 48 nescio qua parte astutia ulla cernatur. Sed ipse Hanno v. sequente: 'pergo etiam temptare'? clare nobis ostendit alios praeisse versus quibus mulieres iam erat adgressus et perturbaverat, quos in nostra fabula frustra quaeres. Neque magis v. 54 finem 'in pauca confer: sitiunt qui hic sedent' si tot secuntur versus toleramus (quem versum non ante annum u. 608 compositum esse 'sedere' verbum demonstrat de omnibus spectatoribus dictum). Res ipsa redit v. 78: satis iam sunt maceratae. Sed peccata nondum omnia sunt enumerata. In sequentibus versibus offendit quod Adelphasium quamquam Hanno et ipsam et sororem in ius vocavit, quamquam Agorastocles Hannone annuente eam apprehendit, nihil aliud dicit nisi: 'an patruos est Agorastocles tuos hic'?

Similiter exspectatio nostra fallitur v. 58: Ag. 'nunc pol ego te ulciscar probe' — quis non subaudit: quia nunc te probe cruciabimus? at continuatur: 'nam faxo eris meo sponsa'. Mira certe ultio.

v. 60 omnes codices Agorastocli dant, atque favent huic rei quibus verbis Agorastocles syllabarum concentu ludens pergit: *postea* hanc amabo atque amplexabo: primum igitur Hannonem antestari tum amicam amplexari volt. Quamnam

personam codices versum superiorem dicentem faciant ex Gepperti editione pro certo eruere non possum: certe D (Ritscheli C) versum dat Hannoni. Pareus verba extrema Anterastili tribuit nihil adnotans. De A Geppertus tacet. Illa autem si recte disputavi, id quod ex verborum consecutione vix dubitari potest, v. 59 saltem extrema verba ab Hannone pronuntiata sunt, sequiturque in aliqua actione Agorastoclem puellas in ius vocasse atque Hannonem esse antestatum.

V. sequens quid in nostra scaena valeat me prorsus non intellegere fateor. Denuo tum Hanno v. 62 puellas in ius vocat: iam audiunt et respondent, sed suo iure Hasperus hos versus delevit. Nam e verbis Agorastoclis 'dice tu illi' sive 'tu' ad Hannonem sive, quod minus placet, ad Adelphasium referimus certe efficitur iterum ab Agorastocle puellas in ius vocari. Praeterea si his verbis Agorastocles Hannonem ut respondeat (vel Adelphasium ut Hannonem appellet) adhortatur rursus cum iis non cohaeret v. sequens ad Agorastoclem dictus. Accedit quod v. 65. 66 in nostra scaena languidissimi sunt quia Agorastoclem quibusdam condicionibus de consilio suo destiturum ostendunt: denique non neglegendum est v. 61 'nisi honestiust prehendi' non coire cum versu 56 quo Agorastocles Adelphasium iam apprehenderat.

Tandem v. 67 (in quo Geppertus corruptam codicum lectionem: 'ite siitis' sine dubio recte mutavit in 'ite in ius') ad aptum sententiarum ordinem et scaenam vere Plautinam revocamur: quid igitur v. 42—66 faciamus? Satis argumentorum protulisse nobis videmur, ut non leviter agamus, si totam hanc vastam molem ex diversissimis versibus commixtam uno actu exigimus. Certe qui obloquetur sanum versuum inter se conexum volo ostendat. Cum v. igitur 41 versum 67 coniungendum esse iudico, ita ut v. 41 Hanno accedat, puellae consistant, tum mutato metro Hanno puellas ubi adgressus est 'citis iambis' in ius vocet.

In reliqua scaena gaudemus quod Plauti facetiis securi frui possumus; duobus tantum locis offendimur: ac primum

versibus 97. 98. Geppertus transposuit, non recte. Nam qua ratione explicabimus quod v. 98 Adelphasium dicit 'enicas me' et sequente eundem alloquitur 'sperate'? vel quomodo 'enicas me' coniungemus cum 'priusquam te mihi desponderit'? Necesse igitur est v. 98 spurium iudicemus. Sed neque v. 97 omni dubitatione caret: iam V 3, 38 Hanno Adelphasium licet absentem conceptis verbis Agorastocli despondit: qui igitur is hoc versu dicere potest 'priusquam te mihi desponderit'? Equidem hoc tantum modo scaenam nostram explicare possum ut et 98 et 97 expunctis post v. 96 Adelphasium tacentem ad Agorastoclem se vertere, tum Hannonem v. 99 pronuntiare statuam.

Tum de fine scaenae iam dubitavit Brachmannus (pag. 76 adn. 1). Et molestum est Agorastoclem patruom sponsionis admonere, neque in nostra fabula inest, quod ultimo versu dicitur, Hannonem Agorastocli dotem promisisse. Circumspicienti quonam referrem hos versus — nam lacuna in illa sponsionis scaena (V 3, 37 sq) omnino nulla est — unus se praebuit locus V 2, 119 sq quo Milphio Hannonem admonet ut Agorastocli paterna bona reddat; Hanno respondet etiam sua se illi daturum esse si quid se fuat. Qui versus cum per se satis sint mirabiles — nam servom ero praesente hoc modo cum eius patruo locutum esse vix credo — nescio an primum ipsi sint appositi, tum ab alio qui illorum non recte meminerat etiam hi 108 et 109. Quae coniectura quam lubrica sit neque me fugit; nam de scaenae V 2 versibus intricatior est quaestio, nostrae autem scaenae versus ultimos nolim obtrudi Plauto.

## DE FABULAE EXITIBUS.

De genuino fabulae nostrae exitu quaerentes in duas partes discesserunt viri docti. Editorum qui omnes priorem Plautinum putabant sententiam a Lomano paucis oppugnatam (spec. crit. pag. 57) Hasperus 11 argumentis comprobare

studet, quem sequitur Brachmannus. At plures nuper viri docti oblocuti sunt: Bergkius phil. 31 pag. 244 et Brugmanus (quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum accentus cum numeris consociarint, thes. I), qui quod omnes ceterae Plauti et Terenti fabulae canticis finiantur posteriorem Plauto tribuunt, et Stephanus (de Pithoeanis in Iuvenalem scholiis thes. III) argumentis nisus, ut dicit, ex scaenarum sermone et arte petitis. Sane ex Haspero non multum discimus: pagina 25 quam brevissime ait priorem tam esse praestabilem tam singulari arte factum, tum in summa brevitate concinnum ut ne posse quidem ab inferiore poeta compositus esse videatur: alterum verbosiorem quam pressiorem frigidum habere iocandi genus et sermonibus non commode inter se aptis claudicare. Vtinam pluribus nobis exposuisset quibus mendis alter laboret!

Accurate igitur utrumque exitum percenseamus, qua in re quam maxime adiuvamur Brachmanni acri de singulis partibus iudicio. Recte et Stephanus et Brachmannus perspexerunt a scaenae V 5 v. 36 gemellum incipere exitum: Antamonidae conviciis Hannonem petenti primum Agorastocles fustibus timorem inicit, tum Anterastilis eum de patris adventu certiorem facit. In fine scaenae (V 5) perturbationem inesse e duplici recensione ortam iure suspicatus est Brachmannus: unus quisque adstipulabitur, ut in Palatinorum v. 51 et 52 sic etiam in iis quos A, ceterum ut videtur ab illis alienos, substituit 'sed eccum lenonem Lycum' servatum esse reputans (quae verba num in A sic ut in editione proposuit versum incipiant in stud. Plaut. pag. 145 dubitat Geppertus). Addendum est quod neque ultimi versus in nostram redactionem quadrant. Neque enim mihi placet his versibus Hannonem vetare Agorastoclem lenonem in ius rapere, paucis vero versibus post sequentis scaenae initio et Agorastoclem et patruom tamen hoc consilium exsequi aut certe simulare.

Finienda igitur scaena v. 52: consequitur Lyci oratio Plautinissima. In hac scaena non minus recte Brachmannus

retractatoris manum detexisse mihi videtur. Argumentis ab eo prolatis unum addo: quod v. 18 'contra' praepositionis munere fungitur, qui usus a Plauto alienus est. Vna in re Brachmanno adstipulari non possum: nam v. 16

Ant. et mihi quidem minam argenti. L. sume hinc quidlubet

quem Geppertus et Hasperus deleverunt, neque tali exitui qualem ille constituit aptus est, in unam scaenam coniunctus cum v. 11 et 12:

Ant. leno, in ius eas.
Lyc. de prandio tu dicis: debetur dabo.

Hunc autem versum (16) si delemus, nescio quam ob causam v. 17 qui bene cum praeeuntibus coit excludamus. Hunc igitur priorem exitum efficimus: V 5, 36—52. V 6, 1—15. 17. 22—34.

Iam quid de altero exitu sit statuendum videamus. Pulcerrime hunc idem retractationum investigator acer ab alienorum fetibus liberavit: v. 6—15 praecipue eam ob causam a ceteris seiungens, quod ante v. 16 quo primum Lycus accedit, Agorastocles cum eo colloqui non potuit. Sed etiam in hac scaena paululum discedo a Brachmanni sententia. Nam cum ex v. 22 (aurum tuom) et v. 24 eluceat etiam prima lenonis verba ad Agorastoclem dicta esse (per ego te tua genua oro, obsecro), necesse est Agorastoclem versus 25 et 26, vel si v. 25 cum Brachmanno delemus, v. 26 loqui. Cui distributioni ipse Brachmannus adstipulabitur, postquam Stephanus ll argumento nisus non levi quia Antamonides argentum, Agorastocles aurum solverit, versus 27 'heus tu leno' et v. 28 militi reddidit. Alter igitur exitus his versibus continetur: v. 1—5. 16—24. 25 (vel 26)—51.

Iam uter exitus genuinus sit ut diiudicare possimus primum Langeni argumento e sermone petito utamur: qui symb. pag. 218 demonstravit 'sequi' verbum sensu metaphorico usurpatum a Plauto esse alienum; versus autem 32

litis sequar in alieno oppido

a ceteris seiungi non potest. Neque desunt alia: miramur militem postquam Agorastocles ei puellarum patrem esse Hannonem enuntiavit nullo verbo respondere; tum offensioni est versus 38, sive ab Agorastocle dicitur, quia ceteris repugnat (cave eum abiecisse velis, nam cum sequente ceterisque cohaeret), sive ut Brachmanno placet a milite, quia tum et totum enuntiatum male laceratur nec versus satis quadrat cum v. 47. Denique, quo totam quaestionem absolvi puto, initium huius scaenae a toto actu est alienum. Nequeo enim haec componere: militem furibundum et conviciantem accedere dum Agorastocles ceterique in altera proscaenii parte coniuncti sunt, ac subito lenonem, de cuius adventu nihil comperimus, clam omnes accedere et Agorastoclis audire verba. Hoc tum demum intellegere possem, si ante scaenam V 4 in ea recensione cuius alter exitus est nonnulli lenonis adeuntis versus adfuissent, similes v. V 6, 1—4: tum leno in altera scaenae parte Hannonem cum suis colloquentem, ex altera militem adgredientem vidisset atque ut eos observaret restitisset. Sed hoc ne coniciam hoc impedit quod leno sic iam v. V 5, 15 patrem puellarum advenisse comperisset. Tantum igitur pro certo me effecisse puto priorem exitum a Plauto esse profectum[1]), postea cum alterum exitum tum alia multa esse adiecta, praesertim in scaena I 2 et V 4.

---

1) Bergki et Brugmani argumentum bene refutavit Goetzius act. VI 326.

## CAPUT TERTIUM.

# LOCI NONNULLI POENULI EMENDANTUR.

### III 5, 33.

Pulcerrimam codicum scripturam misere ut solet (cf. I 2, 62. III 1, 67. III 4, 19) pervertit Geppertus: illi enim haec praebent:

nego et negando si quid refert raviam [1]).

Quod ne in textum recipiamus una prohibet causa: producta prima huius verbi syllaba. Nam corripi eam, etiamsi in lexicis nostris pro longa putatur, docent si non adiectivum ravicus-raucus (cf. avidus avidere-audere, cavitio-cautio) tamen nonnulli scriptorum loci cf. Plauti fragm. apud Non. 164, 19:

expurigabo hercle omnia ad raucam ravim

Aul. 336: ubi siquid poscam usque ad ravim poscam prius, quo in versu 'ravim' in quartam senarii sedem admissum est, quae non recipit nisi iambica verba.

Falso igitur Ribbeckius Caecili v. 84 constituit. Itaque nostro loco una littera inserta scribamus pro rauiā rauciā:

nego et negando si quid refert rauciam,

cf. Prisc. l. X (GL II 539, 1): (verba in cio desinentia) si 'n' non habuerint 'cio' in 'si' mutata faciunt praeteritum, ut . . . raucio-rausi.

542, 27: 'rausi rausum' unde Lucilius [XIX 11 M]

rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

Philoxenus: raucit βραγχιᾷ.

---

1) hoc verbum e codicum scriptura efficitur: in V (B Ritsch.) inest a m. prima 'avia', tum 'ravia', nempe deficit lineola; in D (C Ritsch.) secundum Gepp. adnot. 'avio', ex Parei autem testimonio 'raviao', ex quo veteres editores male fecerunt ravio. 'ravio ravias' verbum exstat in Festo Pauli pag. 275, 4.

IV 2, 6.

In cod. corrupta insunt verba: 'latere forti ferro'. Perverse Geppertus edidit:

praepeditus latera forcipe ferreo,

a metro et a sententia alienum. Nam servorum non latera sed pedes catenis circumclusos fuisse ex aliis locis discimus:

Capt. 721 sqq: ducite
ubi ponderosas crassas capiat compedes;

Persa 572 sq: ne si ferro parseris
ferreos tibi tute impingas videas crassas compedis

269: verberibus caedi iusserit, pedicas impingi.

Latera virgis lacerantur, cf. Bacch. 780 sq:

ut tua iam virgis latera lacerentur probe
ferratusque in pistrino aetatem conteras;

Pers. 28: vide modo ulmeae catapultae tuom ne
transfigant latus.

Hi cruciatus coniuncti sunt Pers. 22:

fui praeferratus apud molas tribunus vapularis;

419: suduculum flagri
compedium tritor, pistrinorum civitas.

In 'latere' igitur verbum inesse iudico catenas exprimens: nullum quod propius ad codicum lectionem accederet inveni quam 'catulo'. Quod verbum quamquam apud Plautum non nisi proprio sensu invenitur, cf. Asin. 184:

et quoque catulo meo
subblanditur novos amator.

Epid. 579: aliter catuli longe olent, aliter sues.

Truc. 268: iam hercle ego hic te mulier quasi sus
catulos pedibus proteram;

tamen deminutiva forma sensu ancipiti Plautus utitur cf. Stich. 620 sq:

tantillum loci ubi catellus cubet id satis erit mihi:
exorabo aliquo modo veni. hucine? immo in carcerem.

Curc. 691 sq: delicatum te hodie faciam cum catello
ut accubes
ferreo ego dico.

Etiam hoc verbum uno loco de bestia usurpat:

Asin. 693: dic igitur med anaticulam, columbam
vel catellum.

Praeterea verbum illud ipsum sensu translato apud Nonium affertur e Lucilio (XXIX 100 M):

cum manicis catulo collareique ut fugitivom;

cf. praeterea Festus s. h. voce (pag. 45 M): catulus genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur (Cas. II 6, 37: ut quidem hodie tu canem et furcam feras). Cum compositione illa 'catulo forti ferreo' confer simillimam Persae v. 573, quem iam attuli:

ferreas ... crassas compedes[1]).

V 4, 4 sqq.

Venustum Anterastilis[2]) canticum anapaestis conscriptum Geppertus et baccheis et creticis foedavit. In versu quarto nihil est mutandum, si cum Muellero (pros. pag. 415) dimetimur:

digna díva venustĭssimá Venere neque cóntempsi eius
opés hodie[3]),

quamquam ss correptarum apud Plautum nullum aliud exstat exemplum: de aliarum consonantium geminatarum correptione confer. Sonnenburg. de versuum Plauti anapaestorum prosodia in 'exercitationis grammaticae specimina, ed. semin. phil. Bonn. sodales' pag. 19, Fleckeisenus miscell. crit. pag. 37 sqq.

---

1) haec cum conicerem fugit me etiam Muellerum (pros. pag. 346) hoc verbum proposuisse: tamen addidi quia argumenta quae attuli ad Muelleri meamque coniecturam suffulciendam alicuius mihi videntur esse momenti.

2) cf. Goetz. act. Lips. VI pag. 313.

3) opes A. opus Palatini. Geppertus transposuit ut baccheum pedem efficeret.

Cum versu quinto 'in suó quique loco síta munde' viri critici[1]) bene comparaverunt Tit. 130 (R):

verríte ⟨mi⟩[2]) aedis spargíte munde facite ín suo quique loco út sita sint.

v. 6 inter octonarios anapaesticos positus non dubito quin eidem metro sit aptandus. Quod Spengelius nuper temptavit (II pag. 394), 'murrineus' vel ideo non placet quia Graecis μυρρίνεος quo hic nititur fere est incognitum cf. Stephani thes. s. h. v. Praeterea 'que' voculae hic locus non est, nam ut Plinius[3]) refert myrrhae maxime ex Arabia apportabantur, sicut et tus cf. Truc. 539 sq ex Buecheleri emendatione; neque in Ambrosiano ut Ritschelius adnotat (opusc. II pag. 339) 'que' traditum est. Ad octonarium igitur explendum una syllaba deest (nolo autem cum Muellero pros. pag. 61 transponi verba ne ex versu bene fluente claudicantem faciamus), quam eruemus facile si similes versus comparaverimus:

3 deamavi ecastor illic hodie lepidissima munera meretricum

---

1) cf. Ritschel. opusc. II pag. 326. Pennigsdorf. de quisque et quisquis pronominum apud comicos latinos usu commentatio pag. 8. Mueller. pros. pag. 61.

2) 'mi' inseruit Buechelerus.

3) Plin. n. h. VI 104 (Detl.) est et portus qui vocatur Muza quem Indica navigatio non petit, nec nisi turis odorumque Arabicorum mercatores. XII 100: myrobalanum Trogodytis et Thebaidi et Arabiae quae Iudaeam ab Aegypto disterminat commune est, nascens unguento . . . 101: ex his in Arabia nascens Syriaca appellatur et est candida, contra in Thebaide nigra. praefertur illa bonitate olei quod exprimitur, sed copia Thebaica. XII 51: cinnamomo proxima gentilitas erat, ni prius Arabiae divitias indicari conveniret causasque quae cognomen illi felicis ac beatae dedere. Principalia ergo in illa tus atque murra.

De aliis Arabiae herbis odoratis cf. XII 104: calamus quoque odoratus in Arabia nascens . . . XII 35: bdellium . . . esse debet tralucidae simile cerae, odoratum . . . in *sacris* vino perfusum odoratius. nascitur in Arabia Indiaque et Media ac Babylone. de ladano cf. XII 73 sq.

5 tanta ibi copia venustatum aderat

7 tantus ibi clientarum erat numerus:

itaque etiam in hunc versum tale pronomen inseramus:

arabus murrhinus illi omnia odor complebat: sordere haud visust[1]).

v. 8 sicut in codicibus traditus est octonarium explet, Geppertus falso 'ibi' in v. sequentem traiecit. In versu 9 restituendo multi operam posuerunt: Muellerus pros. pag. 106 vĕnerånt proposuit mensuram intolerabilem, cf. Sonnenburg. pag. 17; Spengelius II pag. 394 venérant Venerem, qua mensura verborum similitudinem evanescere iam Sonnenburg. pag. 20 suo iure monuerat. Neque quod hic ipse proposuit 'venrant Venerem' accipere possum eandem illam ob causam quam ipse protulit, deinde quod haec pronuntiatio Latinis exemplis caret. At lenissima coniectura et aptum sensum et metrum bene fluens restituemus scribentes:

quae Calydoniam venerant Venerem,

quod Poenuli retractator I 2, 66 imitatus est:

hanc equidem Venerem venerabor.

Nec desunt formae 'venero' exempla cf. Bacch. 173:

propinquos nostros accolis veneroque te;

Truc. 476: ut venerem Lucinam meam.

Conf. praeterea 'veneror' passive usurpatum Apul. met. XI 2 (p. 985 H): praeclaris nunc veneraris delubris Ephesi. Apul. Asclep. cap. 25 (p. 309 H): omnium quae venerari, laudari, amari debent. 'veneratus' Verg. Aen. III 460:

cursusque dabit venerata secundos.

Hor. sat. II 2, 124: venerata Ceres.

Etiam Franckenum video (mnem. IV 167) de hoc verbo cogitasse: imperfectum ille posuit, sed in tempore praesenti non offensurum puto, si quis ad 'clientarum' vocem respexerit:

---

1) cod. exhibent: arabius murrinusque omnis odor complebat haud sordere visust. Char. p. 123 K testatur 'arabus'. Cetera iam veteres editores emendaverunt.

clientae non venerabant sed semper venerant. Quos Franckenus fecit iambos ipse concoquat. Sed versus noster nondum plane est sanatus. In codicibus continuatur usque ad 'duas', ita ut duo octonarii anapaestici sequantur. Nostro versui unus pes deest, quem Muellerus ita supplet 'certo enim scio quod quidem ad nos ambas'; equidem quamvis dubitanter leniorem medelam proposuerim:

certo enim quod quidem ad nos duas ambas,

coll. Amph. 974:

iam hisce ambo et servos et era frustra sunt duo.

Nescio an etiam Menaechm. v. 1082 et 1120 apte quis comparaverit:

hi sunt gemini germani duo,

et

gemini ambo eramus.

Neque in eo quem Adelphasium respondet versu (11) Muelleri lectio placet:

istúc malim aliis íta videatur quam út tu te soror cónlaudes.

In cod. est 'malim istuc'. Sed quia 'velim' coniunctum cum coniunctivo paratactico plerumque huic postponitur atque eo uno loco quo 'malim' hac structura traditum est Poen. I 2, 76:

ita me di ament ut illa me amet malim quam di, Milphio

coniunctivus praecedit, etiam hoc loco 'malim' post 'videatur' transponendum esse puto:

istuc aliis ita videatur malim quam ut tu te conlaudes;

'soror' etiam in v. 10 prave est appositum.

## Vita scriptoris.

---

Natus sum Carolus Schueth die XVI mensis Octobris a. h. s. LXI Bonnae, patre Francisco Iulio quem lugubri fato iam puero ereptum esse vehementer doleo, matre Catharina e gente Schoenenberg adhuc superstite. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus anno LXXI gymnasium patriae adii tum Iosepho Kleinio nunc Augusto Waldeyero directore florens, in quo cum aliorum tum Buysi et Gieseni egregia usus sum disciplina. Vere anni LXXIX testimonio maturitatis instructus inter almae nostrae musarum sedis cives adscriptus sum, cuius disciplina usque ad hunc diem frui mihi licuit. Docuerunt me viri clarissumi Bernays, Bischoff, Buecheler, R. Kekulé, Klein, Leo, Luebbert, Maurenbrecher, C. Menzel, I. B. Meyer, Schaefer, Vsener. Postquam in proseminario quod dicitur philologico per duo semenstria Leone praeceptore antiquos tractavi scriptores, ut in seminarium reciperer eiusque per tria semenstria sodalis essem ordinarius Buecheleri, Luebberti, Vseneri singulari erga me benevolentia factum est. Seminario historico comiter me admiserunt C. Menzel et Schaefer, per unum ille, hic per duo semenstria. Quibus viris omnibus optime de me meritis summas ago gratias semperque agam. Praecipue vero Buechelerum, Luebbertum, Vsenerum grata semper colam memoria.

## Sentententiae controversae.

---

1. Eur. Andr. 707 N ex codice Palatino (B Kirchhoffi) reponendum est μείζω.
2. Arist. Ach. v. 559 delendus est.
3. Lysiae qui dicitur oratio sexta neque umquam habita est neque ut haberetur scripta: scholarum umbram prodit.
4. a) apud Callimachum si arsis secundi vel quarti pedis sequente muta cum liquida producitur, semper praecedit dactylus. Quae oblocuntur exempla aut ex Homero desumpta sunt aut certa ratione a Callimacho hoc modo composita.

   b) itaque hymn. εἰς Δῆλον v. 147 scribendum: ἕστηκεν πρὸ πυλέων cod. ἕστηκε.
5. a) Plaut. Cas. I 95 legendum:

   quáe meo educta sumptú siet.

   b) ib. v. 111 sic inter personas distribuendus est:

   Cleostr. intro abi, appropera, amabo. Myrrh. impetras abeo.

   c) ib. 126 et 127 Bothius et Geppertus pessime metrum foedaverunt. Codicum scriptura mordicus tenenda est.

   d) ib. 350 scribendum: quid? deosculer? quae istaec res? quae voluptas tua?

   e) ib. 384 mutandum: agite. cod. age.

   f) ib. 654 lego: tandem ut veniamus rus: luci ego cras hic ero. cod. omm. rus.
6. Plaut. Trin. 836 pro fremere supplendum fervere atque versus sic legendus:

   imbrés fluctusque atqué procellae infensaé ⟨fervĕre⟩ frangére malum.

7. Plaut. Aul. 781 conicio:

Eucl. noscere. Lyc. audi: filiam ex te tu habes
⟨hic⟩? Eucl. immo eccillam domi.

8. Cic. de fin. III § 22 extr. sic emendanda: ut enim si cui propositum sit conlineare hastam aliquo aut sagittam [sicut nos ultimum in bonis dicimus sic ille facere omnia quae possit ut conliniet], huic in eius modi similitudine omnia sint facienda ut conliniet [et tamen ut omnia faciat quo propositum assequatur], est hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus, illud autem ut feriat quasi seligendum, non expetendum.

9. Verg. Cir. 72 legendum est:

ipse pater timidam sola complexus arena.

cod. H L timidam seva. A nudam sena. R scaevam nudam.